







Digitized by the Internet Archive  
in 2017 with funding from  
Getty Research Institute

<https://archive.org/details/angelipolitiano00poli>







ANGELI POLITIANI  
Oratio pro oratoribus Senen  
siū ad Alexandrium Sextū  
Pont. Max. in qua de  
summa Pontificis  
authoritate cū  
eloquēter,  
tum erudite agitur.

IASONIS MAYNI  
Iurisconsulti Oratio coram eo/  
dē Alex.vi.Pont.Max.habi/  
ta pro obediētia Illustriss.  
Ducis Mediolanensīū  
ubi describitur situs  
Hispaniarū.



ROMA

# ANGELI POLITIANI ORATIO

Pro oratoribus Senensium ad

Alex. vi. Pont. Max.

**T** si christiana omnis res pub. electione Romani Pontificis, quęcunq; eum tãdem esse cõtigerit, gaudere semper iure, ac lætari debet, quoniam sine pastore grex domini periclitatur, tamẽ hoc tempus est B. P. in quo profecto redundantem lætitiã suã cohibere homines nequeunt, q; is tu nobis Pontifex Maximus contigisti, cuius & prudẽtiã, & uirtutem diu Romana res pu. ecclesiãq; maximis, arduisq; in rebus experta admirataq; semper est. Verum Senensi ciuitati hoc est rei pu. nostrę ad communem hanc omnium christianorum proprię quoq; & peculiãres accedunt lætitię causę. sic ut pene a sedibus commouere se ipsa, & sua quadã uoce gratulatum uenire ad te, tuisq; se aduoluere sanctissimis pedibus uelle, ac gestire uideatur. Sed quoniam hoc facere eã natura non sinit, nos ad te ciues suos. B. P. publicę gratulationis oratores misit, qui scilicet in hoc celeberrimo gratissimoq; nobis munere uicem totius ciuitatis impleremus. Gratulamur igitur tibi Alexander Sexte Romane Pontifex, q; ad rerum humanarum fastigium subuectus, immo ad diuinitatem ipsã plane sublatus, omnia pręter deum minora, inferioraq; te uideas, sic ut reges etiam ipsi & principes adorare submissi uestigia tua, & puluerem pedum tuorum lingere nõ modo non dedignentur, sed loco etiam pręclari muneris concupiscant. Gratulamur & christiano gregi, cui tu uidelicet is pastor diuina prouidentia datus es, ut illum facile tutum securũq; prestiturus, & a furum insidiis, & a luporum incurribus uideare. Gratulamur quoq; nobis ipsis hoc est Senensi

ciuitati priuatis quibusdam gratulã di causis, quas proxime suo loco cõmodius attingemus. Post hoc autem obedientiam tibi humilem, ac deuotum obsequium uero christi in terris uicario, quanta maxime possumus ueneratione exhibemus, paratosq; semper fore pollicemur etiã uitam ip̃am, & sanguinẽ, ubi opus sit, pro incolumitate, & dignitate sanctitatis tuæ, Romanæq; ecclesiæ pfundere. Tum iidem & sentimus, & clare profitemur hoc obedientiæ officium nõ ad gratiam ullam, sed ex debito tibi esse offerendũ sic ut a quoquã mortaliũ sine summo scelere, sine grauissimo periculo prætermitti neq; possit, neq; debeat. Nam si reꝝ natura ordine quodam miro, & pulcherrima uarietate distincta est, sic ut a summo ad imũ per medios quosdam gradus, diuinitatis imago refulgeat, quanto hic ordo magis, atq; hæc uarietas nexa inter se, apta, & congruens in ecclesia ipsa conspicui, atq; eminere debet, quæ prorsus naturam transuolat, omniq; impetu, conatuq; suo tendit ad gratiam. An uero triumphans illa in coelis ecclesia, ordine miro fulgebit Angelorum, quorũ alii aliis præfecti subiecti ue sint. hæc uero militans ecclesia ad illius exemplar in terris instituta incondata erit, & carebit ordine. Et quo pacto igiẽr terribilis erit, ut castrorum acies ordinata? Aut quomodo omnino acies, nisi in ea ad unum quasi imperatorem diuersi quidam ordines aliis alii gradatim, uel parentes, uel imperantes redigantur? Siquidem unitatis ipsius, quæ maxime in ecclesia quæritur, congruentior causa est, unus quã multi, quo circa ille etiam rerum naturæ sagacissimus interpres Aristoteles ubi diutius optimam præstantissimãq; regẽdæ ac gubernandę uniuersitatis rationem quæsierat, sic Homericis tandẽ uerbis exclamauit, rex unicus est, rex autem, & princeps noster haud dubie Christus est, cuius in terris locum uertex apo-

stolorum Simon obtinuit, etiam Petrus ob id appellatus, quod super eum dominus quasi super petra ecclesiam suam fuerat ædificaturus. Huic & clauis coelestis, terreniq; regni, & potestatem Christus illam immensam tradidit, ut quod ligaret in terris, aut solueret, ligatum solutumq; etiam foret in coelo. Hic est cui coelum ascensus mandauit, ut oues pasceret suas, quo uerbo uicariū, successoremq; eū sibi & instituit, & consecrauit. Hic est etiam quē uenire ad se super mare ipsum relicta nauicula iussit, quia non nauem hoc est ecclesiam unā sicuti alii suā quisq;, sed mare, hoc est seculum ipsum susciperet gubernandum. Hic est etiā cui dixit uni ut se sequeretur. Hic idem unus linteū illud e coelo demissum uidit quadrupedibus omne genus serpentibus uolatilibusq; refertum, ac surgere, occidere, & manducare inde iussus est, unde etiā merito de illo mater decātat ecclesia, tu es pastor oīum, princeps apostolorū, tibi tradidit Deus omnia regna mundi, ut igitur hæc omnia in pauca conferantur, & ordinem habere militās ecclesia debuit, & is ordo ad unū quasi caput fuerat referendus, & totius ecclesie caput ac fundamentum Petrus est apostolus. Sed quando ecclesiam suam Christus ita instituit, ut non protinus euanesceret, sed ad cōsumationem seculi usq; perduraret, dubitādū non est, quin potestas illa tanta in ipsius quoq; Petri successione, quasiq; e posteritate descēderet. Oportuit. n. ut Paulus inquit, tādū hanc durare potestatem, quā diu ecclesia ipsa ædificatione indigeret. ædificatione autem ad usq; finē seculi indiget, in quo electorū numerus cōplebitur. Iure igitur pro patribus tuis nati sunt tibi filii, canimus in ecclesia constitues eos principes sup omnem terrā. Neq;. n. fas erat, ut ordo ille apostolicus a sapientissimo Iesu Christo institutus in sui statim primordio deficeret. Sed q; rogo uerus petri succes-



for ? An alius quā Romanus pontifex ? Non. n. episcopi se-  
des est in qua primo, sed in qua postremo sederit. Petrus au-  
tem Hierosolymis, Antiochiaq; relictis, Romā iubēte do-  
mino, Romā hoc est in locū pascuæ suæ properabat, ibi ad  
extremū usq; uitæ spiritū pastoris functurus officio, Quod  
si Petrus loco domini semper, si Romanus pontifex Petri  
successor, & Christi Vicarius in terris est, profecto iure diui-  
no caput omnes tibi sancte pater, & genua inclinamus, om-  
nesq; tibi tanquam ipsi domino Iesu Christo obtempera-  
mus, tantamq; tuam, B. P. esse potestatem fatemur, ut iudi-  
cia quoq; tua firma immobiliq; pmaneat, quasi deus ipse  
per te iudicet. Nec aut potestas ista conferri homini ab ho-  
mine tanta potuit, sed ille solus contulit, qui Romanā eccle-  
siā solus fundauit, & supra petrā fidei mox crescentis erexit,  
quiq; beato Petro æternæ uitæ clauigero, terreni simul &  
coelestis imperii iura cōmisit. Quapropter apostolicæ se-  
dis iura priuilegiaq; sic alte radices, atq; ita in solidum ege-  
rūt, ut trāfferri cōmoueriq; nō possint. trahere fortasse ten-  
tabit quispiam, sed eas non uiribus ullis rumpere, nec duro  
poterit conuellere ferro. Si autem in ueteri legē tantus pon-  
tifici honos diuino impio habebat, ut qui iussa illius detre-  
ctaret, extremo supplicio afficeretur, quid nobis faciēdum  
christianis nomē illius gerentibus est ? qui sic uicariis suis lo-  
cutus est, qui uos audit, & me audit, qui uos spernit, & me  
spernit, læsæ profecto diuinæ maiestatis crimen incurrit,  
quisquis dum christianū se asserit, sedi isti apostolicæ obe-  
dire contemnit. Verum sit aliis cōmunis hęc & publica, no-  
bis autē hoc est Senensi ciuitati priuatæ quoq; sunt, & pro-  
priæ huius præstādi officii causæ, nam & Romana semper  
ita nos ecclesia protexit, ut illi uni libertatem, dignitatem,  
incolumitatemq; nostram debeamus. Et tuus ille secūdum

carnem patruus, in pontificatu autem p̄decessor sanctæ, im-  
mortalisq; memoriæ, Callistus eius nominis tertius toto eã  
sui pontificatus corpore, atq; omnibus ecclesiæ Romanæ  
uiribus auxiliante etiam diuinæ uirtutis principe Francisco  
Sfortia ab Iacobi picinini incursum impressioneq; defendit.  
Idemq; æneam Piccolomineum nostræ ciuitatis hominẽ  
doctrina & nobilitate p̄stantissimũ præsulem tunc Senen-  
sem in amplissimum fratrum suorum Cardinalium colle-  
gium cooptauit. Quiquidem post eius obitum statim suc-  
cessor eidem in pontificatu electus, & pius uere nobis, & se-  
cundus fuit, quippe qui rem pu. nostram pene ab interitu  
ad uitam reuocauit, uiribus firmavit, auctoritate muniit di-  
gnitate auxit, opibus honestauit, ut ne plura quidẽ, aut ma-  
iora optare a superis nostra ciuitas auderet, quã quot in eã  
Pius ille pontifex, quantaq; cõtulit. Enimuero si referri oĩa  
ad suas causas debent, sicuti certe debent, profecto q̄ uiui-  
mus, q̄ libertatem nostram tuemur, q̄ dignitate, gloria, di-  
uitiis aucti senenses decoratiq; sumus, nulli post deum neq;  
magis neq; prius quã patruo illi tuo adorandæ nobis me-  
moriæ Callisto acceptũ referimus. A quo uidelicet tanquã  
a fonte quodã perenni, tanta illa in nos, tanq; affluẽs oĩum  
reꝝ felicitas redũdauerit. Nec uero ingratus, aut immemor  
accepti a Callisto beneficii Pius fuit, sed expeditionẽ, quã  
ille aduersus immanissimũ turcæ gentis tyrannum suscepe-  
rat, obitu interpellatam statim ut ipse ad pontificatum ad-  
scitus est, ita nauiter continuauit, ut in ipso molimine appa-  
ratuq; rerum uitam efflauerit nihil sibi neq; ad salutem cer-  
tius, neq; ad laudẽ maius existimans, quã si sanctissimi illius  
sapientissimiq; pontificis promotoris, decessorisq; sui uesti-  
giis institisset. Cæterum illis forsitan importuna mors tan-  
tum illud decus ob id ipsum inuidit, ut hæc ad te laus inte-

gra illibata indeflorataq; descenderet. Nam & sapientia singularis, cuius tam multa experimēta tot annis sacri princeps senatus dedisti, & præstās animi magnitudo, qua mortales crederis omnes antecellere, & ætas ipsa pariter auctoritati retinēdæ laboribusq; ferēdis idonea, & uigor iste tuus oculorum, ac uultus plenaq; dignitatis, plena maiestatis facies, ac totius corporis uiuida quædā uis, & solidū robur. Tum istud ipsum Alexandri nomen omnibus orientis populis formidabile, quod tibi credo nō frustra, sed diuinitus adoptasti magna quædā de te nobis rara, ardua, singularia, incredibilia, inaudita pollicentur. Non. n. dubitatur quin receptura retenturaq; ius maiestatemq; suam Romana ecclesia sit, quin uirtuti & bonis artibus honos te pontifice sit habēdus ac uiri docti disciplinisq; omne genus ingeniisq; florētes p̄mia laborū sint uigiliarūq; laturo, quin principes oēs christiani arma quibus inter se nunc impie sæuiunt contra Mahumeticam potius rabiem impulsu auctoritateq; tua cōuersuri sint. Tibi. n. tibi laus hæc uere Alexādro debetur nō magno, sed maximo, non regi, sed pontifici, Tunc enim uere tūc pastori cū beluas illas teterrimas, tot annos christianorum hoc est, tui gregis cruore, & cædibus pastas, totiq; quotidie Italiæ atq; adeo sedi isti tuæ sanctissimæ rabidis faucibus inhiantes, baculo isto diuinæ potestatis repelles, abiges, contundes. Quod ut fortiter aggredi constanterq; non dubites, en ipsa tua te patria pulcherrima illa hispania nunc maxime adhortatur, quæ quasi rebus tuis præludens regem reginamq; suos diuinis honoribus efferendos alacri studio in bellum secuta maximis quidem laboribus, & periculis, sed maiore profecto laude gloriaq; barbariem illam truculentā, & foedam nostris totiens cladibus triumphantē Europæ tandē finibus exturbauit. Sed quid ego hæc apud

te summe pōtifex, quasi uero aut meæ partes sint tui adhor  
tandi, ac non potius adorandi, aut tu stimulis indigeas ullis  
incitandusq; cuiquam sis, qui tua sponte nihil unquam nisi  
arduū, nisi excelsum, nisi singulare, uel cogitas uel moliris.  
Quare finem dicendi faciam, si prius remp. nostram dedi-  
tissimam deuotissimamq; tibi sancte pater cunctis animi, &  
cordis uiribus suppliciter commendauero, quæ non minus  
Alexandro Sexto pontifice maximo nūc exultat, quā olim  
Alexādro tertio ciui suo, Romano item pōtifice exultauit,  
illo qui Federici Imperatoris ueniam petētis ceruicē pede  
calcauit. Nam neq; dubitamus quin tuti semper sub umbra  
alarum tuarum Senenses futuri simus, sicuti sub aliorū pon-  
tificum præsidio fuimus hætenus, & beneficia, cōmodaq;  
nec pauciora abste, nec minora prorsus expectamus, quam  
olim a patruo illo tuo sanctissimo pontifice acceperimus.  
Reliquum est, ut deum optimum, maximumq; precemur,  
ut foelix, faustumq; tibi sit semper quicquid agas, quicquid  
cogites, utq; in ista sublimi cathedra, sedens atq; imperans  
annos Petri procul excedas, quo uidelicet oues tuæ uocem  
agnoscentes tuam, tutæ undiq; sub tanto pastore, & saturæ  
diutina securitate perfruantur.

D I X I.





SPECIAL  
94B 12791

XXX

THE GETTY CENTER  
LIBRARY

